



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Pugnacitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

quo omnes animi morbi scaterè pullulareque sentiuntur, Laetantius Firmianus, Septimius Florentinus Apogetico, neque non illi omnes, qui cum Aristotele Platonis verba, non sensa, cavillis incessunt, hoc dissimularunt, in quo summa sapientiae veritas delitebat. Sed ut animi Medicum cum his dissimulemus: non desunt Platonis interpretes, qui Galli hujusmodi sacrificium eo trahunt, ut animas in caelum migrantes Phaebo paena, canere comminiscantur.

APOLLO. CAP. XIX.

*Gallicinii
proprietate.*

*Atque etiam
à Pausania
in prioribus
Eliacis.*

Inter ea, quae Apollini dicata sunt, quippe Arietem, Crocodilum, Scarabeum, Accipitrem, Lynxem, Gallus etiam à Chæremone Stoico, & à Porphyrio recensetur. Infitum autem est Gallis, inquit Proclus, numen Apollinis advocare, & veluti propriis canticis asurgenti applaudere: deat lib. de Divinatione ait Cicero, animal hoc admodum canorum est sponte sua, nos vero sacris hymnis canimus gallicinio Luciferum venturae lucis prænuncium excitari, obductum caligine coelum aperiri, dari copiam ut patefacta jam via errores ambagesque omnes declinemus, canente Gallo, valetudinariis aliquam salutis, aut salutem allevationis spem affulgere, metuciosos trepidatione liberari, & multa, quae per insidias parabantur dissipari: quae omnia advenientis lucis beneficia sunt. Neque vero Soli tantum, verum etiam Luna dicatum esse Pythagoras aiebat. Pausanias, ubi statuas eorum, qui cum Hectore singulari certamine congredi, conjectis in urnam fortibus, minime recussissent, ab eo provocati, ab Achivis in Olympia dicatas ait, Idomeni clypeum Gallo gallinaceo insignitum fuisse tradit; propterea quod is à Minoe & Pasiphae duceret originem, quae Solis filia fuerit, cui Gallum dedicari constat: quia ortum ejus praesentiat, cantu indicet mortalibus.

EXCUBIAE. CAP. XX.

Lib. 4.

Quia vero Gallus à prima mediae noctis inclinatione solet ex-
plaudentibus, ut Lucretius ait, *alis*

Aurorum clari consuetus voce vocare,

matutino crepusculo, matutinis astris Deum itidem laudantibus quotidie commodulatur, excubiarum & vigiliarum signum apud antiquos fuit: eaque de causa Mercurio dicatus ferebatur. Ac ut nostra quoque attingamus, eo multo ante lucem canente aberrans respicit Petrus, & ut Ambrosius ait, expergefactus facti culpam incessit sui, amaroque fletu crimen rebellionis expurgat, ne mirum adeo sit, quod datam aliti huic intelligentiam apud Jobem legimus.

*Tempus resuscitantia
D. Petri, à
Matth. c.
26.
Capit. 38.
v. 36.*



PROPHETA DOCTORESVE. CAP. XXI.

*Rom. 14.
De Gloria
munus.*

Sunt qui super hoc Jobis dicto intelligi velint Prophetas, & sacrae disciplinae Doctores hieroglyphice per Gallum accipi: propterea quod illi inter vitae praesentis tenebras, venturam lucem quasi cantando prænunciarunt: unde illud in eorum ore frequentius, *Nox praecessit, dies autem appropinquat.* Est & illud congruum Doctoris munus, ut quibus, quid, quando, & quomodo sit quicquam indicandum, inferendumque animis, debeat velut divinitus cognovisse: non enim inquit Eusebius, una eademque cunctis exhortatio convenit: quia nec cunctos par morum qualitas devincit atque constringit. Itaque Gallus certa per intervalla modo hos, modo illos excitat, & antelucanum tempus discrimine veluti quodam dipartitur.

PUGNACITAS. CAP. XXII.

*Pausan. in
prioribus
Eliacis,
Vel quod
praesentia futuri
temporis.*

IN Eleorum arce, Pallados simulacrum ex auro & ebore, Phidiae opus, erat cum Gallo in galea surrecto: quod pugnacitatis hieroglyphium esse Pausanias arbitratur, cum tamen non inficeret Gallum Minervae, cognomento Operatrici, sacrum esse. Sane Sybaritae, gens ad omnes molliumque numeros nata, Gallum in urbe esse prohibuerunt, ne nocturni somni quidem interpelleret. Idemque & fabriles omnes artes ablegaverant, ut memoriae prodidit Athenaeus, ne quid esset, quod voluptates

A luptates suas interturbaret. Quod autem pertinet ad pugnacitatem, Nicander Alexipharmacis, *αἰ-χμήπιπ* *νεοσοῖε* inquit *pugnacibus* quippe *pullis Gallinaceis* exponit interpres: qui ut inter se dimi- cent assidue nati videantur, cum præsertim pugna semel ceptam idemdem repetant, nescii cedere: unde Græcum illud adagium, *ἀλεῖφρων ἴππηδᾶ* insultat Gallus, de redintegrandis certamen: & *ἄγε* Martis pullum eum vocat Aristophanes, Avibus. Non est illud dissimulandum, quod licet sint ani- malia ad pugnam nata, inventum tamen est incitari eos ad pugnacitatem alio in cibum dato, quod Græci *προσδιέον* dicunt. Quod vero ait Salomon, *Gallus ambulans inter Gallinas lætus*, Eucherius im- perii esse dicit significationem. Quod si in numum incidere Gallinaceorum confictu signatum scias eam fuisse Dardanorum pecuniam, Polluce teste: nam illi magnum pugnacitatis decus sibi an- tiquitus usurpaverē. Hinc honoratum semper apud Maronem Dardaniæ nomen, cum secus Phryges ferere semper velut imbelles notarentur. Jam & Chrysippus Gallorum æmulatione nobis adjici stimu- los ad fortitudinem, atque inde quodammodo calcaria subijci scribit, libro de Justitia. Themistocles quoque Gallorum exemplo, in quos acriter pugnantes inciderat, exercitum confirmavit, cum offen- deret eos non pro patria, neq; pro penatibus, neq; pro majorum sepulchris, uxoribusve, aut liberis id incommodi aggressos, sed ea tantum de causa, ne vincerentur, nolle alterum alteri cedere. Om- nium vero pugnacissimos Gallos habuisse fertur Rhodos insula: neque quidē adhuc ibi degenera- vit ea volucrum hujusmodi ferocitas, & visenda proceritas, ut in quibusdam inde Romam allatis, ipsi conspeximus. A Galli vero pugnacitate factum, ut gemma Aleatoria, quam in Galli ventriculo inve- niri tradunt, victoriam dicatur eam gestantibus comparare, qua Milo Crotoniates usus, invictus in certaminibus fuerit: de quo Plinius lib. xxvii. cap. x.

PERSÆ MILITES. CAP. XXIII.

Persarum porro milites Galli nuncupantur à Caribus, ob conos, quibus galeas ornatas habebant, eaque de causa Artaxerxes hominem è Caria, qui Cyrum jaculo vulnerasse creditus est, eo hone- nestavit præmio, ut Gallum aureum in lancea præfixum ante aciem ferret: author Plutarchus. Sed enim Athenæus Gallos in Perside primum ortos ait, unde fortasse cognomentum id Persæ potuerint habuisse. Aristophanes, ut suus est mos omnibus illudere, Gallum ait olim Persis imperasse, unde ad- huc cristatos in cassidibus. Quæ vero simulacra tria totidem Gallis adblandientia, spectantur in An- tonini Pii Augusti numo, crediderim ego, ad mansuetissimum ejus ingenium spectare, ut qui pugna- citatem committigare procuraret, qui omnem belli ferociam quanto potuit studio emolliverit: ut po- te qui mallet unum civem servare, quam mille hostes occidere, solusque omnium Principum sine ci- villi sanguine, & hostili etiam, quantum ad se pertineret, vixerit.

SUESANI. CAP. XXIV.

Unus autem Gallus toto surrectus corpore, cum phosphoro à tergo stella addita, ut inscriptio indicat, *Suesanorum pecunia fuit*.

VICTORIA. CAP. XXV.

In augurali vero disciplina Gallus est victoriæ signum: propterea quod avis illa victa silere solet, canere si vicisset. Hinc Lacedæmonii, ut apud Plutarchum est, cum hostem viribus profligassent, Gallum immolabant: qui Bovem tunc sacrificare soliti essent, cum sine cæde victoria obtigisset. Fe- runt Socratem Iphicrati duci animos adjecisse, cum Gallinaceos coram Callia pennis & rostro dimi- cantes ei præmonstrasset: quod & Themistocles, uti diximus, ad suos animandos fecerat. Quod vero de cantu dicebamus, refert Iulius historiam, ex Callisthene Leuত্রice calamitatis tempore, quæ La- cedæmonios propemodum oppressit, cum apud Thebaidem Trophonio res divina fieret, Gallos gallinaceos in eo loco sic assidue canere cœpisse, ut nihil intermitterent: tum augures dixisse, Theba- norum esse victoriam. Pergami omnibus annis spectaculum Gallorum edi solitum scribit Plinius, idque Athenis etiam institutum à Themistocle, superatis Persis, ait Ælianus, quamquam ea & ludi- cro fieri apud Lucianum & Herodianum legas.

VINEARUM INCOLUMITAS. CAP. XXVI.

Methona civitas est in Træzeniorum agro, cujus incolæ Gallum pro vinearum incolumitate mactare soliti sunt, ut Africi venti, qui eas plurimum infestat incursionem vel averte- rent,